

nino per Episcopum provideri, ut integre intelligibili voce decantetur, ita ut a populo distincte audiri valeat. n. 1817 ad 3. die 10. Mart. 1657.

Vd.: *Symbol.* (cant. a choro.)

Ad dub.: An cum dicitur symbolum in missa sit intermiscendum organum?

Resp.: Symbolum in missa distincte a fidelibus audiri debet. Hinc in eo nequit organi sonitus intermisceri ita, ut decantato uno versu, alter versus submissa voce recitetur, dum interim organum pulsatur. Si hoc sensu allatum dubium proponitur negative omnino respondendum est eodem modo, quo jam in altero decreto diei 10. Martii 1657 in Seguntina ad 3. S. Ritu Congregatio respondit declaravitque „abulum huiusmodi minime tolerandum, sed omnino per episcopum prohiberi, ut integre intelligibili voce Symbolum decantetur ita, ut a populo distincte audiri valeat.“ Si vero eo sensu exhibetur, ut nulla pars Symboli in cantu omittatur, et voce intelligibili ac distincta juxta adductum decretum omnes versus decantentur, sonitus organi tolerari potest, quamvis hoc in usu generatim non sit, ubi in missa cantus Gregorianus, seu ut dicunt firmus adhibetur.

S. C. C. resp.: Symbolum integre canendum, etiamsi pulsetur organum.

Die 7. Sept. 1861.

(Anal. J. P. 1863 p. 2249.)

13) Sacerdos infra cantum Symb. non debet prosequi missam.

Vd.: *Missae* (abbreviatio); *Ritus missae* (non mutand.)

SYNODUS.

1) Dioccesana.

a) Dioccesium unitarum.

I. In qua civitate habenda?

Ad dub.: An Synodus alternatim

ab Episcopo convocanda sit in ecclesia cath. Viterb. et in altera Tuscanensi, seu potius separatim et pro unaquaque ex dictis resp. ecclesiis in casu?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentiae Episcopi quoad utramque partem, prout magis in Domino ad utriusque ecclesiae utilitatem expedire judicaverit.

Die 11. Jan. 1783 *Viterbien. et Tuscan.* ad 1.

Ad dub. Approximante tempore celebrationis Synodi, stante quod Ampuriensis unita sit aeque principaliter Civitalensi dioecesi, nullus in hac re fultus consuetudine supplicat edoceri, an ipse teneatur celebrare synodum in utraque dioecesi.

S. C. C. resp.: Affirmative alternatim.

Die 8. Maji 1649. Eandem regulam secuta est S. C. in *Pennen. et Adrien.* die 16. Aprilis 1622.

Civitatis Castellanae.

Cathedrali Ecclesiae Civitatis Hortae univit Eugenius IV. Pontifex Maximus anno 1437 aliam Cathedralem Ecclesiam Civitatis Castellanae, ita ut unus esset Episcopus, qui utramque Ecclesiam ambasque Dioeceses regeret, methodo et forma in suo Motu proprio praescripta. Ab eo tempore ad annum usque 1582 quotquot fuerunt Episcopi sese in omnibus actibus, aut simpliciter Hortinos Episcopos dixerunt, aut praemisissent Hortinum Episcopatum alteri Civitatis Castellanae. Variatum fuit anno 1582, quo sedente Gregorio XIII. Episcopus electus fuit Andreas Longus praemissa denominatione Civitatis Castellanae. Variationis causa dicitur elenchus Episcopatum, qui servatur in Cancellaria Apostolica, in quo litera initialis Civitatis Castellanae praecedit literam initialem Civitatis Hortae. Quidquid autem hac de re sit, novitate commota Civitas Hor-

tae, ejusque Capitulum, et Clerus univertus adiverunt Sacras Congregationes Rituum, et Episcoporum ac Regularium pluribus editis juribus, et expedito coram Cardinali Vicario Urbis monitorio, ut metu Censurarum compellerentur testes ad veritatem pandendam, prout detecta fuit ab ipso Episcopo Longo, Archipresbytero, aliisque Capitularibus Civitatis Castellanae, sed opera et studio ejusdem Episcopi, qui Hortinae sedi pristinum honorem restituit, sopita lis fuit ad annum usque 1607, quo ipse decessit. Recruduit tamen inde; novus enim Episcopus suadente Capitulo Civitatis Castellanae Dioecesanam Synodum in ea Civitate, non in Ecclesia Cathedrali Hortina indixit. Clamarunt Capitulum, Clerus et Civitas Hortae ad hoc Sacrum Tribunal, a quo prudenter jussum fuit, ut Episcopus abstineret a convocanda Synodo, donec jura utriusque Ecclesiae cognoscerentur.

Anno igitur 1624 die 8. Junii sex dubia, quibus controversia omnis complectebatur, proposita fuerunt, et caeteris definitis, altero eorum, quod erat: *In qua ex dictis Civitatibus sit primo inchoanda Synodus?* responsum fuit: *Synodum esse indicendam ac celebrandam in Civitate Castellana, in qua ad praesens Episcopus reperitur, et deinde in Civitate Hortana, et sic deinceps singulis annis observari debere absque tamen praesudicio Partium tam in Petitorio, quam in Possessorio Judicio, et donec Articulus Praecedentiae plene cognitus et definitus fuerit.* Plures post hoc provisionale decretum indictae et actae fuerunt Synodi, servata forma ejusdem decreti, cum numquam de praecedentia proposita quaestio fuerit. At cum nuper ab Episcopo indicta fuerit Synodus in Civitate Castellana, quae juxta ordinem decreti iudici debebat in Civitate Hortae, iterum excitata

est controversia, cujus scientia delata ad SSimum Dominum nostrum jussit convocari in Civitate Castellana, *salvis tamen juribus Partium contendentium, ita ut nemini praesudicium ullum sive in Petitorio sive in Possessorio per hujusmodi Synodi celebrationem, seu interventum, aut per praesens Sanctitatis suae rescriptum inferatur.* Post hoc rescriptum de proponendo Dubio, quod complectebatur locum agendi Synodum, actum fuit, sed decreto Eminentissimi Domini Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi Causa quoad omnia Judicio Sacri hujus Tribunalis commissum fuit, ideoque alia dubia adjecta fuerunt, quae omnia nunc proponuntur, disputante Capitulo, Clero et Civitate Hortae majorem esse dignitatem eorum Civitatis, quam ab innumeris actis, et ab ultima Italiae nostrae repetunt antiquitate, ut cognoscent Eminentissimi Patres ex libello, quem dabunt. A Capitulo Civitatis Castellanae nihil habuimus. Tria sunt Causae capita:

I. *An et cui Ecclesiae Cathedrali competat Praecedentia pro inchoanda Synodo in casu?*

II. *An et cui ex dictis Ecclesiis competat Praenominatio in Bullis Provisionum Episcopatus et in caeteris actibus communibus respicientibus utramque Dioecesim in casu?*

III. *In qua ex dictis Ecclesiis sit prius per Episcopum capienda sollemnis Possessio in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Competere Ecclesiae Civitatis Castellanae. Ad II.: Capiendam esse in Ecclesia Civitatis Castellanae. Ad III.: Competere Civitati Castellanae juxta alternativam.

Die 4. Mart. 1758 et 10. Mart. 1759.

Viterbien.

Jamdiu apud Sac. Congregationem Episcoporum et Regularium conquesti

fuerunt Canonici Tuscanenses de proprio Episcopo, qui neglecta illorum Ecclesia Cathedrali omnes Sacras Functiones et Pontificales, nec non ipsam quoque Synodum in altera Cathedrali Viterbiensi celebrare consueverat.

Hujusmodi lis diu mansit indecisa, sed instante Viterbiensi Capitulo de mandato clar. mem. Card. de Giraud Pro-Auditoris SSmi. huic Sac. Consessui remissa fuit. Cum autem nova deinceps superaccesserint quaestionum et discordiarum semina factum hinc est, ut causa, omnia complectens, et in quindecim dispartita dubiis sapienti EE. VV. iudicio modo discutienda proponatur. Inutile foret singula rationum momenta referre, quae in circumferendis libellis deducta sunt. Pauca tantummodo ad singula dubia perpendenda breviter addam, quae ad illorum dilucidationem conferre possunt.

Ad duo prima dubia quod animadvertendum occurrit posse Episcopum in solum in Civitate, sed in quolibet Dioecesis loco Synodum convocare, Refert Benedictus XIV. in *Synodo Dioecesis lib. 1. cap. 5, num. 2.* Concilia Arelatense 1 celebratum anno 511 et Oscense habitum anno 598 indicta fuisse cum expressione — *In loco ubi Episcopus elegerit.* Verum num. 3 advertit, quod si nullum obstet impedimentum, expedit, ut illa semper in Ecclesia Cathedrali celebretur. Sic etiam Sac. Congregatio in *Acernen.* die 17. Maji 1636 definit, *posse Episcopum etiam in dicto Oppido Dioecesanam Synodum congregare, sed satius esse, ut illam apud suam Cathedrali celebret, lib. 15. decret. pag. 355.*

Quando vero duae Cathedrales Ecclesiae ab uno eodemque Episcopo moderantur, potest Episcopus inspecta juris severitate in Ecclesia quam maluerit Synodum celebrare, cui Ecclesiastici omnes utriusque Dioecesis interesse

tenentur, editasque constitutiones inviolabiliter servare: *Frances de Ecclesiis Cathedralibus cap. 8 num. 370.* Romaguerra ad *Constit. Synodales Gerundenses lib. 1. tit. 1. cap. 1. num. 12.*; Hinc licet in *Geruntina et Cariaten.* sustineatur et quatenus affirmative II. *An licet Dioecesim Geruntinam.* Sacra Congregatio die 2. *Octobris 1706* responsum dedit: *Ad I. Affirmative, ad II. Negative, nihilominus die 1. Februarii 1708* reposita causa perstitum fuit in *decisis quoad primum dubium*; ad secundum vero responsum fuit: *Praevio recessu a decisis affirmative lib. 58. decret. pag. 13.*

Notat Benedictus XIV. loco citato num. 4; quod ad evitandas inter utramque Ecclesiam simultates et concordiam fovendam maxime expedire, ut Synodus modo in una, modo in alia habeatur, quam sententiam secuta est Sac. Congregatio in *Ampurien.* Synodi, in qua cum Episcopus exposuisset: *Approximante tempore celebrationis Synodi, stante, quod Ampurien. unita sit aequae principaliter Civitatem. Dioecesi nulla in hac parte suffultus consuetudine supplicat ab EE. VV. edoceri, an ipse teneatur celebrare Synodum in utraque Dioecesi: die 8. Maji 1649.* respondit: *Affirmative alternatim lib. 44. decret. pag. 212.* Verum si consuetudine invecum fuerit, ut Synodus alternis vicibus habeatur in utraque Civitate, tunc non ex decentia, sed ex justitia hujusmodi alternativa servanda est Sac. Congregatio in *Pennen. et Adrien. 12. Aprilis 1626. lib. 12. decret. pag. 276.* et *27. Julii 1647. lib. 18. decret. pag. 376.*

Sed in *Maceraten. et Acheruntina,* cum Capitulum Acheruntinum nondum legitime probasset consuetudinem sibi suaeque Ecclesiae favorabilem, ob quam Synodo ab Archiepiscopo in Civitate

Maceratensi indictae interesse renuebat et propositis duobus dubiis I. *An licitum sit Archiepiscopo Maceratensi et Acheruntino convocare Synodum Dioecesanam in Civitate Matherae pro utraque Dioecesi, seu potius eam celebrare teneatur in Civitate Acheruntina. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam; II. An idem Archiepiscopus compellere possit Ecclesiasticos dictae Civitatis et Dioecesis Acheruntinae ad interveniendum praedictae Synodo in casu etc.* Sac. Congregatio die 24. Martii 1736 rescripsit: *Dilata, non retardato pro hac vice intervenitu Cleri Acheruntini Synodo jam indicta in Civitate Matheratensi sine praedictio jurium ambarum partium.*

Ad III. et IV. advertendum est Honorium III. in *cap. Te referente 12. de celebr. Miss.* scribentem Archiepiscopo Sypontino ita edicere: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemniter celebrare: Ex quo infert Card. Petra ad Const. V. Innocentii IV. sec. unic. num. 10. teneri Episcopum, nisi aliqua rationabilis causa contrarium suadeat Sacra Olea in Cathedrali Ecclesia conficere.*

Concilium Tridentinum Sess. 23. *cap. 1. de Reform.* postquam confirmavit ea, quae de Episcoporum residentia sancte et utiliter a Summis Pontificibus statuta fuerunt, eosdem admonuit et in Domino hortatus est, *ne tempore Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus quibus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debent, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Dioecesi eos alio vocent. Quod quidem decretum*

Sac. Congregatio observari mandavit in *Calaguritana et Calceaten.* in qua disputato dubio: *An Episcopus teneatur saltem diebus, praescriptis a Sac. Concilio Tridentino Sess. 23. de Reform. cap. 1. residere in alterutra ex Cathedralibus, ibique sacras functiones explere: die 3. Septembris 1740.* respondit: *Teneri.*

Verum si adsint duae Cathedrales unitae, quoties unio est subjectiva Episcopus debet tam Chrisma conficere, quam alias Pontificales functiones peragere in Cathedrali, cui fuit facta unio; at si aequae principaliter sint unitae non tenetur modo in una, modo in alia praedictas functiones explere, sed in alterutra, prout sibi placuerit, illas exercere valet, quia quoad Episcopum duae Ecclesiae habentur tamquam unica Cathedralis: *Card. Petra cum aliis Doctoribus ab eo allegatis loc. cit. num. 12.*

Sac. Congregatio juxta varias unionum species et invecas consuetudines, subortas hac in re quaestiones definit: *In Pennen. et Adrien. die 16. Aprilis 1622 censuit inter has duas Civitates Episcoporum in ingressu Synodo, atque in aliis functionibus Episcopalibus teneri servare ejusmodi ordinem alternative, atque hunc ordinem per obitum, vel mutationem Episcopi nequaquam debere interrumpi lib. 12. decret. pag. 96.*

In *Civitatis Castellanae et Hortanae die 18. Junii 1624 ad I. Dubium* respondit: *Episcopum in aliqua parte alterius ex dictis Dioecesibus residentem suae obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis Cathedralibus resideat temporibus ab eodem Concilio praescriptis decreto cap. 1. vers. eosdem interim admonet Sess. 23. dicto lib. 12. decret. pag. 173.* Id ipsum confirmavit die 13. Augusti

1650 in Valven. et Sulmonen. quoad primum dubium et in eadem causa proposito III. An Functiones Pontificales debeant alternatim peragi in dictis duabus Ecclesiis Cathedralibus et an prius in Ecclesia Valvensi uti antiquiori, respondit: Non teneri alternatim, sed tantum prima Pontificalia exercere debere in Ecclesia Valvensi tanquam digniori lib. 19. decret. pag. 71. et 72.

Sustinet Gonzalez ad d. caput. Te referente de celebr. Miss. num. 1. consuetudinem inductam, ut in una tantum ex Ecclesiis Cathedralibus unitis fiat Sacrorum Oleorum benedictio servandam esse; advertit tamen Card. Petra loco citato num. 14., quod ad inducendam talem consuetudinem consistentem in actibus facultativis non sufficere simplicem observantiam, sed requiri actus importantes praescriptionem, id est voluntatem contrariam cum acquiescentia, et Episcopum landaliter se gerere, si aliquando in alterutra ex suis Ecclesiis unitis hujusmodi Pontificalia peragat, quemadmodum definiit S. Congr. in Geruntinen. et Cariaten., in qua inter alia disputato IV. dubio: An et quomodo Episcopus teneatur residere in Cathedrali Geruntina die 2. Octobris 1706 rescipsit: Negative et injungendum censuit Episcopo, ut curet residere etiam in Ecclesia Geruntinen. saltem in aliquibus diebus solemnioribus lib. 56. decret. 56. pag. 332, quae resolutio confirmata fuit die 11. Febr. 1708 lib. 58. decr. p. 53.

Pro resolutione dubiorum IV., V., VI., VII., VIII., IX. et X. advertendum est Concilium Romanum tit. 12. cap. 3. Episcopis demandasse, ut in Episcopio et loco quo possit tutiori simul et commodiori Archivum retineatur, atque in illo, Curiae Processus, atque Scripturae omnes tam ad Episcopi Mensam, quam ad Dioecesim etiam universam pertinentes suo or-

dine reponantur. Prae oculis pariter habenda est resolutio Sacrae Congregationis in Civitatis Castellanae et Hortanae die 8. Junii 1624, in qua ad V. dubium definitum est: Episcopum in una ex dictis Civitatibus existentem posse per se ipsum cognoscere causas alterius Civitatis, vel Dioecesis adhibito Notario sibi benevisio tam in Processibus conficiendis, quam in actis Visitationum conscribendis, sed tamen debere eum habere rationem, ut id non passim, sed raro et aequa ex causa fiat et in arduis tantum et gravioribus negotiis, ne Constitutio unionis eludatur dicto lib. 12. decret. pag. 173. Vidend. Folium in Tuscanen. Concursus distributum pro Congregatione diei 16. Martii 1771, quod habetur in Thesouro Resolutionum tom. 40. pag. 57.

Agitur in dubiis XI., XII. XIII. et XV. de praenominatione tum in actibus communibus, tum alteram ex Ecclesiis respicientibus; et ad rem observat Pitonius discept. Ecclesiast. 9. num. 11. in Bullis Apostolicis provisionis Episcopatus duarum Ecclesiarum, quae invicem aequae principaliter sint unitae, praenominationem deberi digniori, secus autem in actibus ab Episcopo in Dioecesi exercendis, tunc enim prosequitur idem Auctor cit. in loco num. 16. praenominandam esse Ecclesiam ad quam actus diriguntur, et testatur ita praecise servatum fuisse in Ecclesiis Viterbiensi et Tuscanensi.

Hac in re advertenda est resolutio data a Sac. Congregatione in Civitatis Castellanae et Hortanae die 8. Junii 1624, in qua ad VI. dubium in haec verba respondit: Quemadmodum Episcopus in Civitate Castellana, vel in ejus Dioecesi existens, Civitatis Castellanae et Hortanae est appellandus Episcopus, ita e converso, dum in Civitate vel Dioecesi Hortana moram trahit, Hortanae et Civitatis Castel-

lanae Episcopum, nominari, atque inscribi debere; quod si extra Dioecesim resideat in negotiis ad Civitatem et Dioecesim Hortanam respicientibus Hortanae et Civitatis Castellanae et Hortanae Episcopum esse denominandum lib. 12. decret. pag. 174.

Hisce praehabitis et serio etiam ponderatis juribus ab utraque parte deducendis, dignabuntur EE. VV. responsum dare:

I. An Synodus alternatim ab Episcopo convocanda sit in Ecclesia Cathedrali Viterbien. et in altera Tuscanen., seu potius separatim in et pro unaquaque ex dictis respectivis Ecclesiis in casu etc. et quatenus affirmative ad primam partem.

II. An Clerus unius Ecclesiae Cathedralis cogi possit ad interessendum Synodo celebrandae in altera Ecclesia in casu etc.

III. An ab Episcopo peragenda sint in Civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinationes et Consecrationes Oleorum saltem alternative in casu etc. et quatenus affirmative.

IV. An Episcopus teneatur residere in Civitate Tuscanen. per aliquod temporis spatium singulis annis in casu etc.

V. An Cancellarius Episcopalis Tuscanen. retinere possit penes Episcopum in quocumque loco commorantem Substitutum approbandum ab Episcopo pro conficiendis Actis respicientibus solam Ecclesiam Tuscanen. in casu etc. et quatenus negative.

VI. An acta per ipsum Episcopum extra Ecclesiam Tuscanen. commorantem gesta et respicientia solam Tuscanen. Ecclesiam retineri debeant per Cancellarium Episcopalem Tuscanen. etiamsi perficiantur per Acta Cancellariae Viterbii in casu etc.

VII. An Acta per ipsum Episcopum commorantem in Ecclesia Tuscanen. gesta, ac respicientia solam Viterbiensem Ecclesiam vicissim confici et

retineri debeant per Cancellarium Viterbiensem in casu etc.

VIII. An Acta Examinis habendi coram Episcopo in Civitate Viterbii pro Collatione Parochialium aliarumque Dignitatum Tuscanen. conficienda sint a Cancellario Episcopali Tuscanen., seu potius ab alio quocumque arbitrio Episcopi ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 16. Martii 1771 quoad tertium Dubium in casu etc.

IX. An reliquae Scripturae spectantes ad Ecclesiam Tuscanen., necnon expeditiones et commissoria Bullarum et Acta S. Visitationis Ecclesiae Tuscanen. private expediri, peragi ac retineri debeant penes Acta Cancellariae Tuscanen. in casu etc. et quatenus negative.

X. An Vicarius Capitularis Ecclesiae Tuscanen. Sede Episcopali vacante compellere possit Cancellarium Ecclesiae Viterbiensis ad sibi gratis tradendas Scripturas originales, vel earum copias private respicientes Ecclesiam Tuscanen. in casu etc.

XI. An in Actibus private respicientibus Ecclesiam Tuscanen. Episcopus semper et ubique denominari debeat Tuscanen. et Viterbien.

XII. An in Actibus communibus respicientibus utramque Ecclesiam Viterbiensem scilicet et Tuscanensem, cui ex iisdem Ecclesiis competat praenominatio in casu etc. et quatenus affirmative quoad Ecclesiam Viterbiensem.

XIII. An d. praenominatio eidem Ecclesiae Viterbiensi competat etiam in iis Actibus communibus, qui ab Episcopo conficiuntur et evulgantur in Ecclesia Tuscanen.

XIV. An exequendum sit Rescriptum Episcopi sub die 4. Januarii 1779 super separata impressione Kalendarii pro Ecclesia Tuscanen., seu potius servanda sit impressio unius Kalendarii utramque Ecclesiam Viter-